

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Theses Historico-Philologicas Consensu Inclyti
Philosophorum Collegii Reg. Pomeranorum Academiæ
Gryphicæ**

Träg°ard, Elias

Gryphiswaldiæ, [MDCCLXX?]

VD18 13193120

Th. II. Verba f. Historici eod. Cap. V. 19. clare fatis innuunt, animalia a DEO
creata ad Adamum adducta suisce, illis nomina ut imponeret. Hanc
quoque cuiusvis denominationem ex ipsius natura ...

urn:nbn:de:gbv:45:1-15772



phiam laudans: *O vitæ philosophia dux, o virtutis indagatrix, expugnatrix vitiorum, quia non modo nos, sed omnino vita hominum sine te non esse potuisset! Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxisti etc.* Quam belle hic præponuntur postera prius! ut sane mirum, qui sibi talia quisquam, etiamsi a revelatione meliora non edocitus, persuaderi patetur, in primis cum ipsæ profanarum gentium mythologiæ in sanioris de hac aliisque antiquissimis rebus notitiae vestigia incidendi occasionem præberent. Cum allatis tamen auctoribus & recentioribus quoque faciunt MAUPERTUIS (d), ROUSSEAU & alii. Isla loquelæ humanæ, quod hic obiter tantum monere volo, primordia si probari possent, utique scripturam sermone priorem suisse concedendum foret, hocque concessio, primam scripturam signis rerum, seu hieroglyphicis, ut vocant, constitisse vix quisquam inficias iret. At, quantum mihi videre datum, falsum est prius, ergo etiam posterius.

Th. II.

Verba s. Historici eod. Cap. v. 19. clare satis innunt, animalia a DEO creata ad Adamum adducta suisse, illis nomina ut imponeret. Hanc quoque cuiusvis denominationem ex ipsius natura desumptam suisse, ulla cum ratione negari nequit.

Novi quidem, alios aliud ex his verbis exsculpere velle. Sunt, qui putent, ideo animalium paria impulsu divino ad primum hominem accessisse, ut quid sibi adhuc deesset, nim. עוז בְּנֵגָדו auxilium commodum ipsi, animadverteret, quod quidem statuendi cohærentiam textus occasionem dare hand diffiteor. At, unius ejusdemque actionis rarissime unus tantum est scopus. Primarium vero hic suisse, ut nomina iis imponeret, in quæ dominaretur, contendeo, quem ipse quoque textus non obscure indicat verbis: לְרוֹאֹת מֵחַ וִקְרָא לוּ ad evidentum, quid vocaret illud. Jam, cum sermo hominum primus Deum agnosceret auctorem; id quod nec profanis absconditum omnino esse potuit, prout dixit PLATO, videri sibi eam naturam, quæ rebus nomina

(d) Histoire de l'Acad. Roy. des sciences & bell. lettr. Berlin 1754.



nomina imposuerit, fuisse celsiorem hac humana, vid. ROLUM (e), isque Adamo a DEO esset concessus, sequitur, ut aptissima, seu naturam denominatorum animalium optime exprimentia illis hic indiderit nomina; alias namque sine ratione sufficienti aliquid egisset, & lingua rebus creatis, suo cuique, nomine nuncupandis a Creatore destinata ad scopum obtinendum fuisse minus idonea, quod statuere veritati minus congruens jure habetur. Ceterum, an, quam etiamnum habemus, lingua hebræa fuerit Adami ista primæva, an vero, quod satis videtur paradoxon, singula nomina personarum pariter ac animalium rerumque aliarum a Mose in suum sermonem translata fuerint, ut suspicatur CLERICUS (f), meam hac vice non facio controversiam. Saltem cuivis hebræa callenti patet, nomina animalium cum illorum natura semper convenire, id quod aliis in linguis rarissime observatur. Videatur de hoc BOCHARTUS (g). Quin, aliæ quoque ejus voces, dum etyma rite investigantur, non adeo raro quandam cum rebus significatis convenientiam produnt.

Th. III.

Infelices turris Babelicæ structores tantæ molis atque altitudinis, quod moliebantur, ædificio, de quo Gen. XI, refugium a nova diluvie sibi parare voluisse omnino frivolum est. Potius a dispersione sibi præcavere propositum illis fuit.

Illud qui statuunt primos istos Noachi posteros admodum faciunt simplices; rite enim queritur: Quot ibi servari potuissent? nonne hunc in finem ingentem navium multitudinem construere consultius fuisse? At ab iterata aquarium inundatione tuti fuerunt vi promissi divini Cap. VIII. 21. 22. cuius nec infici esse, nec veritatem ejusdem impugnare potuerunt, quocunque enim libenter homines volunt, id quoque facile credunt. Non defuerunt, qui speculam, e qua astrorum ursus observarentur, hic exstrui coepitam opinentur. Hi contra, justo forsitan perspicaciores eosdem habent. Textus sacer hac structura, ad mentem illorum, generis humani per totum terrarum orbem

* 3

disper-

(e) Synops. Crit. ad h. I.

(f) in Diff. præl. prima Prolegom. ad Comment. in Pentateuchum.

(g) De scripturæ animalibus L. I. C. IX.

